49988/P

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE REVULSIONE ET REMEDIIS REVELLENTIBVS,

QVAM
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,
SVB PRÆSIDIO

DN. D. HERM. PAVLI JVCHII,
SACRI PALATII CÆSAREI COMITIS, FACVLT. MED. H. T. DECANI AC SENIORIS, ET PATHOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARII, SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI, NEC NON ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGAE,
PATRONI ET PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET IMMVNITATIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT
AVCTOR ET RESPONDENS

JO. FRIDER. WILH. STORCH,
ISENACENSIS.

HORIS CONSVETIS IN AVDITORIO MAJORI
COLLEGII MAJORIS
DIE VII. SEPTEMBRIS, MDCCXLIII.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



Q. D. T. O. M. B. V.

§. I.

E revulſione & revellentibus ut remedio & auxilio in arte medica utiliſſimo & neceſſario, ſub auſpicio Dei, acturus, primum & primarium nec ſuperfluum eſſe reor, etymologiam vocum eorumque ſignificationem enucleare. Multa quidem nomina rebus improprie impoſita eſſe videntur, plurima vero optime quadrant, & ſenſum non inconvenienter exprimunt: quod & de revulſione & revellentibus valet, quæ pro nominibus compoſitis ex præpoſitione re, vel per apocopen ex retro zurück, & verbo vello **reiſſen, zupffen**, habenda. Cum vero nomina ſint ſigna rerum, hinc revellere vel retrovellere idem quod retrahere, revocare radicatum aliquid iterum eradicare ſignificat. Revulſio eſt actus, eradi-

Vocum revulſionis & revellentium etymologia, ſynonymia & ſignificatus.

cationis, retractionis, vel revocationis. Revellentia ſunt media & inſtrumenta, quibus revulſio perficitur & impetratur. Græca lingua revulſionem exprimit per ἀντίσπασιν, & revellentia per ἀντισπάστικα, a verbo ἀντισπάω, quod latine vertitur, retraho, contraho, attraho, contravello, revoco, avoco. Uſu receptum quoque eſt, ut ἀντισπάστικα & ἀντισπασμότικα pro ſynonymis habeantur. Hinc revellentium hæc conveniens eſt deſcriptio, quod ſint media ſpaſmum inhibentia mitigantia, infringentia. Id quod evidenter apparet in congeſtionum revocatione; omnis enim congeſtio oritur ex ſpaſmo vel contractione partium muſculoſarum in membris remotis, ſpaſmo vero mitigato, congeſtio tollitur.

§. II.

Definitio revellentium, etiam ſecundum veteres.

Ex hac inveſtigatione etymologica optime derivatur *definitio*, quod nempe revellentia ſint media ſive auxilia motum & congeſtionem ſanguinis & humorum a loco periculoſo ſive a parte affecta nobili, in locum minus periculoſum ſive in partem remotam revocantia & retrahentia. Veterum definitio hæc eſt: ἀντισπασμότικα ſunt auxilia in diverſum revellentia; vel revellentia ſunt media humorem fluentem in contrariam partem retrahentia & avertentia.

§. III.

Alia definitio ſtrictior.

Quemadmodum autem humores propria vi ex una parte in aliam non fluant, multo minus ex partibus inferioribus ad ſuperiores aſcendere poſſunt: ita

rationi

rationi consentaneum est, eorum congestionem fieri per motum tonicum partium solidarum, quæ in uno loco strictæ fluidum contentum exprimunt, & in partem laxam vel relaxatam congerunt. Hinc stricturæ spasticæ per quæcunque adminicula relaxatæ refluentes humores admittunt & in interstitia fibrarum recipiunt, sicque congestiones a partibus remotis revocant, & partes affectas ab infarctu liberant. Hinc dilucidior & compendiosior definitio erit, dum dicatur, quod revellentia sint remedia vel adminicula motum tonicum invertentia & mutantia.

§. IV.

Revellentium antiquitas & usus.

Prius vero quam telam exordiar, remque ulterius prosequar, de antiquitate & usu revellentium mentionem faciam, quod ea quidem ab incunabulis medicinæ nota, interim tamen, ut alia medicamina & remedia, mutationi subjecta fuerint. Hippocrates eorum usum commendavit & ejus commentator Galenus plurimis in locis eorum adplicationem indicavit, qui vero nimia scrupulositate auctor est, ut ejus adseclæ per plurima secula methodum revulsoriam derivatoriæ confuderint. Stricte Galenum sequentes medici, plurimis in affectibus revellentia laudarunt ad illud usque tempus, quo primum protulerunt circulum sanguinis. Ex eo enim tempore aliqui hæsitarunt, & fere ut media inutilia rejecerunt, quorum vestigiis porro insistebant Cartesiani & Mechanici: alii vero, quanquam mechanismo inhærentes, usum eorum tamen commendarunt, & rationibus sufficientibus & per experien-

perientiam demonſtrarunt; inter quos Baglivius de fibra motrice p. 340. ſequentia profert: „Non obſtan„te continuo liquidorum circulo, dantur tamen revul„ſiones & derivationes humorum in curatione morbo„rum. Veritatem hujus confirmat quotidiana expe„rientia. Garriant, quicquid velint, nonnulli delicatuli „ex ſchola Hypotheſiaſtarum. Sed præter experien„tiam Dominus Bellinus amicus noſter, rationibus me„chanico-geometricis idem evidentisſime demonſtravit „in libris de miſſione ſanguinis ad ægrorum ſalutem „neceſſaria, qui quoque aliquot exempla practica pro„ducit.

§. V.

Pauci recentiorum hanc rem pertractarunt.

Interea cum revulſionis ac revellentium conſideratio ad therapiam pertineat, miror, perpaucos auctores hujus ævi ex profeſſo de iis ſcripſiſſe. Mœbius in Inſtitutionibus in medium profert quidem titulum de revulſione, in tractatione autem plane ſilet, & ne verbo quidem revulſionem attingit.

§. VI.

Revellentia quomodo differant primo a derivantibus.

Sepoſitam etymologiam & hiſtoriam, ſequitur nunc *differentia revellentium:* In hac conſideratione in conſpectum veniunt duo ſed diverſæ ſignificationis termini, ſcilicet, *revellentia* & *derivantia.* De quibus ſupra jam mentionem feci, quod multoties inter ſe confundantur & unum pro altero adhibeatur.

§. VII.

Hæc decla-

Accipiamus pro ſchemate dilucidationis venæ ſectionem.

ctionem. Datur enim revulsoria, & derivatoria. V. S. revulsoria est, quæ sanguinem in partem affectam congestum a parte affecta in aliam partem remotiorem revocat, ac retrahit: v. g. Si caput vel pectus afficitur, venæ sectio in pede nomen meretur venæ sectionis revulsoriæ. Derivatoria autem venæ sectio est, quando vena secatur in loco parti affectæ proximo, qua sanguis evacuatur & elicitur, non vero revocatur nec revellitur. Ceterum hic conferri potest LAVR. BELLINI, Profess. celeberrimi Pisani tractatus de urinis, pulsibus, missione sanguinis &c. Proposit. VI. pag. 119. qui ita scribit: *Revulsio ac derivatio non sunt nomina prorsus inania, sed qui effectus per ipsam contingunt, a sola diversa proportione velocitatum, & quantitatum, qua sanguis dum mittitur, fluit per canales diversos, pendet non a tractione, aut qualibet alia causa.* Idem *Auctor l. c. p. 124. Quarto revulsionis, ait, ac derivationis nomina non esse tam inania, quantum ab aliquibus supponuntur; patet etiam ex his propositionibus, per missionem sanguinis ex aliqua vena derivari ad partem aliquam, majorem quantitatem ejus intra datum aliquod spatium temporis, quam si mitteretur ex alia: &c.*

rantur ex venæsectione revulsoria & derivatoria.

§. VIII.

Hippocrates satis dilucide hanc rem distinguit Libr. VI. Sect. VII. Aphor. 21. *Revellenda ea sunt,* inquit, *quæ, quo non oportet, vergunt; sin autem, quonam convenit, iis tum viam struere decet, quamnam in partem singula tendunt.* Hic aphorismus sufficienter demonstrat, ubi venæ sectio derivatoria & revulsoria locum habeat.

Quæ probatur ex dictis Hippocratis.

habeat. Et alio loco Lib. de Natura humana *Sect. III. p. m. 9. n. 10.* Venæ sectionem disertis verbis monstrat. *Studendum est*, ait, *ut quam longissime a locis, in quibus dolores fieri & sanguis colligi consuevit, venarum sectiones fiant. Hac namque ratione cum minime magna derepente mutatio continget, tum etiam consuetudinem tollendo effeceris, ut ne amplius eodem colligatur.* In his unice V. s. revulsoriam commendat non vero derivatoriam: derivatoria enim consuetudinem congestionum auferre non valet. Rationi potius consentaneum est, ut derivatoria V. sectio consuetudinem magis inducat & pertinaciorem reddat. Hinc Hippocratis venæ sectio revulsoria nulla alia est, quam quæ longissime a parte affecta peragitur.

§. IX.

Galeni aliorumque circa venæsectionem revulsoriam & derivatoriam errores.

Errant adeoque Galenus ejusque asseclæ quam maxime, dum verba Aphor. 68. Sect. V. *parti capitis posteriori dolenti in frontem recta excurrens vena incisa prodest:* ita interpretantur, ac si hæc vena in fronte incisa, intuitu occipitis dolentis sit venæ sectio revulsoria. Ex hac interpretatione quam plurimi alii errores pendent, qui methodum revulsoriam derivatoriæ confundunt, & medicos in praxi ambiguos reddunt. Profluit ex hac falsa interpretatione, quod in hemicrania vena secanda sit in parte capitis opposita. Profluit quod in pleuritide V. S. in brachio dolori opposito sit revulsoria, & in brachio dolentis lateris derivatoria, cum tamen, in quocunque brachio secetur, sit derivatoria. Si cui veterum opinionem in compen-

dio

dio legere placet, eam in Sebizii Commentario in librum Galeni, de revulſione ſequentibus verbis inveniet: „*Si fluxio inveſtet partes infernas, ſurſum revelli- „tur; ſi ſupernas, deorſum; ſi dextras, ſiniſtrorſum; ſi „ſiniſtras, dextrorſum; ſi anteriores, retrorſum; ſi poſte- „riores, antrorſum; ſi internas, extrorſum; ſi externas, „introrſum.*„

§. X.

Optima igitur & veriſſima diſtinctio inter V. Snem derivatoriam & revulſoriam invenitur, ſi punctum circulationis, cor nempe cum arteriis aſcendentibus & deſcendentibus, pro fundamento ponitur. Quæcunque enim vaſa aſcendentia ſecantur, ſive fiat ſectio in capite ſive ſub lingua, ſive in collo, brachiis, aut manibus, ratione capitis & pectoris derivant ſanguinem, non vero revellunt: & omnes venæ ſectiones in ſuperioribus partibus factæ, intuitu capitis & pectoris nuncupandæ ſunt derivatoriæ; intuitu vero abdominis & partium inferiorum revulſoriæ. Et ſic contra: ſi venæ ſectiones in pedibus fiunt, ratione partium ſuperiorum adpellantur revulſoriæ; ratione vero inferiorum derivatoriæ. Poſita hac certa & veriſſima diſtinctione, clare elucet, quod auctores a Galeno ad noſtra usque tempora caute legendi, neque ſemper imitandi ſint: multoties enim errant inter derivationem & revulſionem. Cum vero toto die differt effectus revulſionis ab effectu derivationis: cautius hinc inquirendum eſt quando revulſio & quando derivatio locum in hoc vel illo affectu, ſubjecto, & ætate habet.

Melior ſubſtituitur diſtinctio V.S. revulſoriæ & derivatoriæ.

§. XI.

Revellentium secunda differentia qua sunt vel evacuantia vel non-evacuantia.

Altera differentia inter revellentia est, quod considerentur ut *evacuantia* & *non evacuantia*. *Revellentia evacuantia*, partim sanguinem sincerum partim vero serum, vel sanguinem in serum solutum evacuant. Sincerus evacuatur sanguis revellendo, vel per venæsectiones vel per scarificationes, vel per hirudines: in serum vero solutum per vesicatoria, fonticulos, balnea, fotus, vel per interna laxantia, purgantia, diuretica.

Non-evacuantia revellentia sunt omnia externa, quæ per dolorem vel irritationem motum tonicum invertunt.

§. XII.

Tertio differunt quatenus sunt interna vel externa.

Porro dividuntur revellentia in *interna* & *externa*. *Interna* sunt purgantia, laxantia, clysteres, diuretica. *Externa*, venæ sectio, scarificatio, hirudines, vesicatoria, fonticuli, (quæ simul revellentia evacuantia audiunt) rubefacientia, sinapismi, frictiones, ligaturæ, balnea, pediluvia, fotus, cucurbitulæ cœcæ, compressio digitorum, & quæ partim dolore, partim calore congestiones revocant, retrahunt, & divertunt.

§. XIII.

Quid sit motus tonicus?

Brevissimis cum definitionem dedi, quod revellentia sint media motum tonicum invertentia & mutantia: necessarium hic esse duco, ut demonstremus & explicemus, a) quid sit motus tonicus, b) quis ejus usus, effectus, & commodum. Quid sit

motus

motus tonicus, inventor ejus, beatus nunc, Stahlius optime declarat in Dissertatione ejus *de motu tonico vitali*, aliisque cum hac connexis scriptis & disputationibus: præprimis in Theoria ejus vera plurimis in paginis: quod nempe sit strictura & tensio partium fibrosarum non continua sed reciproca, & ex directione naturæ modostringens, modo remittens. Motus tonicus est motus contractorius & relaxatorius cordis & arteriarum sanguinem a partibus interioribus ad exteriores in habitum carnosum & peripheriam mittens, & harum partium motus interiori contrarius, sanguinem e peripheria ad centrum reprimens est utique & proprie sic dictus motus tonicus Stahlii. Uterque vero horum motuum a natura sive anima immateriali dirigitur pro re nata, in una parte magis stringitur, in altera vero relaxatur: prout res exigit, ad nutum naturæ modo intenditur & augetur, modo stringitur: imo aliquando plane suspenditur.

§. XIV.

Hujus motus origo, & causa formalis & efficiens est lapis ille offensionis & nodus Gordius, in quo ad hunc usque diem medicorum sententiæ discrepant, & si nunquam, certe in hoc hallucinantur Mechanici, qui mechanismum solum, excluso motore, pro causa efficiente motus tonici agnoscunt: cum tamen mutationem & variationem hujus motus ex animi pathematibus negare nequeant. Certo certius est, animam sive naturam affectibus sic dictis, ira scilicet, terrore, gaudio, mœrore &c. mutatam, motum tonicum in

Hujus motus tonici causa efficiens est anima.

corpore mutare, confortare, ſtringere, mitigare, ſiſtere: hinc certum quoque eſt, animam motus tonici effectricem & directricem eſſe. Atque hoc magis elucebit, quando *uſus* & *effectus* motus tonici conſideratur: ubi uſus & effectus primarius eſt, ut actiones vitales, ad normam naturæ conſerventur & exerceantur, inter quas præcipua eſt circulatio ſanguinis & humorum, quæ quamdiu protrahitur, cauſa eſt vitæ, & quamdiu regulariter exercetur, tam diu ſanitatis auctor eſt.

§. XV.

Motus tonicus eſt cauſa efficiens actionum vitalium, ſanitatis, & vitæ.

Non ſola vero circulatio ſanguinis cauſa vitæ & ſanitatis eſt, ſed omnes & ſingulæ actiones vitales, ſi ſecundum ordinem & regulas naturæ a Deo conceſſas & connatas, mediante motu tonico, fiunt, & efficiuntur, inter quas primariæ ſunt, coctio, aut potius digeſtio ventriculi, chylificatio, ſanguificatio, ſecretiones & excretiones. Et intuitu harum actionum, motus tonicus audit motus tonicus vitalis; quia actiones vitales, unice & primario abſolvit, efficit, & perficit.

§. XVI.

Motum hunc tonicum æqualem ſemper natura conſervat niſi aliquod officiat impedimentum.

Quamdiu naturæ nullum impedimentum opponitur, tamdiu æqualem ſervat hunc motum, & actiones vitales ſine ſenſu vel incommodo operatur, & hominis ſanitatem incolumem ſervat. Si hominis natura a peccato originali libera manſiſſet, tanta ejus fuiſſet ratio, & vires, ut nullum impedimentum has actiones turbans admiſiſſet: amiſſa vero per lapſum

ima-

imagine Dei, perdita ſimul eſt ratio, & vires vitales corruptæ ſunt.

§. XVII.

Impedimentum ejusmodi eſt peccatum, quod cauſæ morborum & mors ipſa ſequuntur.

Mors Σωτρον peccati a Deo conſtitutum, & hanc inſeparabiliter concomitant cauſæ morborum: qua cuncta per uſum & magis per abuſum ſex rerum non naturalium porta ubique patula introducuntur. Male dicta propter peccatum terra Geneſ. Cap. III. v. 17. exhalat & emittit cauſas morborum in aerem, protrudit in fructus & olera, diſpargit in potulenta, hinc utique mors in olla paratus eſt homini, labor, & onus; ex perdita & perverſa voluntate oriuntur animi pathemata dimidiam partem cauſarum morborum implentia.

§. XVIII.

Hujusmodi impedimentum quod ad partes fluidas. Et quod huic ſit naturæ remedium.

Per ſe & intuitu mixtionis, compoſitionis & conſiſtentiæ homo præprimis quoad partes fluidas male cohæret, & omni tempore pronus eſt ad diſſolutionem & putrefactionem. Præſervatio vero hujus corruptionis ſola quærenda eſt in motus tonici perennitate, qua mixtura ſanguinis & humorum fluxilis ſervatur & partes ad putredinem pronæ in variis cribris ſecernuntur & excernuntur: qui uſus & effectus motus tonici præcipuus & præſtantiſſimus eſt. Multo magis commodum præſtat hic motus, ſi ex prædictis cauſis morborum una vel plures in corpus irrepſerunt & diſſolutionem mixtionis minitantur: tunc natura motum hunc tonicum augere, magis intendere & ſtringere neceſſitate cogitur. Quapropter circulum ſan-

guinis celeriorem reddit, ebullitiones excitat, frigus calorem, ſpasmos, convulſiones & dolores producit, vires ſupprimit, & totum corpus morboſum reddit, donec impetrata ſecretione & excretione peregrinum ejiciat, & ſic ſanitatem reſtituat. Sub hoc labore, præſertim ſi materia morboſa indolis ſit acrioris, corroſivæ, volatilioris, & plethora ſanguinis progreſſum impediat; fieri aliter non poteſt, quin in hac vel illa parte inflammationes, ſtagnationes, infarctus oriantur, quibus præſentibus aut imminentibus natura, mediante motu tonico, congeſtiones ſanguinis & humorum in partem affectam dirigit: quæ congeſtiones partim dolores excitant, partim inflammatorias ſtagnationes augent, & periculum minitantur.

§. XIX.

Quomodo in plethora natura ſibi ipſa proſpiciat?

Sola ſæpe plethora corpori moleſta, præſertim in ſubjectis hæmorrhagiis aſſuetis, eſt objectum, quod naturæ occaſionem præbet, congeſtiones ad locum hæmorrhagicum dirigendi laudabili cum hoc fine, ut plethoram, ſufficiente hæmorrhagia, imminuat. Sine congeſtione, verſus caput nunquam ſpontanea, exoritur hæmorrhagia narium. Ad hanc laudabilem & ſalutarem exonerationem & evacuationem ſanguinis natura motu tonico partium inferiorum ceu inſtrumento utitur, quo ſanguinem ex partibus inferioribus ad ſuperiores reſtringit, vaſa ſanguifera diſtendit, donec in extremitate alicujus vaſculi ruptura fiat, & continuante congeſtione ſanguinis copiam ſufficientem evacuaverit. Qua exterminata, tonus partium infe-

riorum

riorum remittit, sanguinis fluxus revocatur, & sic congestio compescitur. Idem prducitur effectus naturæ beneficio in aliis hæmorrhagiarum speciebus, finis propositi feliciori modo attingendi gratia, nec opus est, ut medicus ei ullo adminiculo subveniat.

§. XX.

Quodnam sit faciendum, si natura ex vitio hæreditario aut alia ob impedimenta a fine aberret?

Quando vero natura ipsa aut ex vitii hæreditarii ad errores proclivitate, aut propter innumerabilia impedimenta finem attingere & cursum absolvere non valeat, congestiones facere nimis attentet, in loca periculosiora dirigat, dolores sensibiliores excitet, inflammationes augeat, evacuationes sanguinis vel seri nimis diu & copiose protrahat: tunc medici, naturæ ministri, officium est, ut impedimentis remotis, naturam errantem revocet, & via tutiori & planiori incedendi ei occasionem præbeat.

§. XXI.

Ad hæc propellenda mala est excogitata methodus revulsoria & revellentia, quæ sunt vel interna vel externa.

Ad hunc scopum impetrandum optimo consilio a veteribus inventa est, *methodus* sic dicta *revulsoria*, & non sine fructu & effectu excogitata sunt remedia revellentia, quæ, pro rerum statu & variatione, modo ceu interna propinantur, modo ceu externa exhibentur. Remedia, media, auxilia & adminicula, nomine revellentium insignita & in praxi medica a multo jam tempore cognita & experimentis probata, sunt scilicet 1) *interna*

Quænam sint interna?

purgantia,
laxantia,

diure-

diuretica,
diaphoretica,
clysteres.

Num vomitoria huc quoque sint referenda?

Veteres in hanc classem & vomitoria retulerunt, quando ipsis animus fuit, congestiones humorum ab inferioribus partibus ad superiores retrahendi. Sic apud Sebizium legitur: *Decumbente humore ad inferna, revellimus per vomitum;* & pro hac positione demonstranda allegatur Hippocrates, qui Sect. V. Aphor. 32. enunciat: *menstruorum eruptionem tollere vomitum cruentum.* An vero in hac commentatione satis caute agant, vix credere fas est. Hoc quoque respectu ab hodiernis sæpe laudatur usus ipecacoanhæ vomitorius in dysenteria. Id autem statuunt suffulti Hippocr. verbis, qui Sect. VI. Aph. 15. *diuturnum*, inquit, *alvi profluvium vomitu a natura facto curari.* Experientia vero docet, hoc raro cum emolumento, plurimum vero cum nocumento subsequente fieri. Et uti raro revulsio a partibus inferioribus ad superiores proficua est, ita rarissime tutus instituitur vomitus revulsorius. Mensium quidem fluxus facili negotio sisti & versus ventriculum revelli potest, naturæ vero motus menstrui periodici perversi non removentur, quin, si exitum imposterum sanguis non inveniat per uterum ejusque vaginam ut loca pro hac hæmorrhagia tutiora, certo regurgitabit, & in ventriculo evacuationem, periculo non vacantem, eliget.

Quænam sint externa?

2) *Externa*, quæ in tres classes commode dividuntur, & sunt

α) San-

α) Sanguinem evacuantia, ſicuti venæſectio, ſcarificatio, hirudinum adplicatio.

β) Serum evacuantia, uti fonticuli, veſicatoria.

γ) Non evacuantia, ſed ſolum allicientia uti rubefacientia, frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ cœcæ, balnea, pediluvia, fotus, compreſſio digitorum, pilorum evulſio.

Omnium horum remediorum operandi ratio nude & unice conſiſtit in motus tonici perverſione & congeſtionum periculoſiorum, & morboſarum revocatione; id quod ea efficiunt partim evacuatione, partim irritatione, vel doloris aut caloris in loco a parte affecta remoto excitatione.

§. XXII.

Agitur de revellentibus evacuantibus & quidem 1) internis quo referuntur a) purgantia & b) laxantia.

Ad hanc normam examinabimus *revellentia evacuantia* & quidem

1) *interna*, inter quæ primum locum occupant *purgantia* vel *laxantia*. Hæc non ſine irritatione & nauſeabunda ſenſatione materiam mucoſo-ſeroſam in ventriculum & inteſtina alliciunt, & partes has ſenſibiles raro ſine dolore afficiunt. Ubi vero irritatio & ſenſus injucundus; ibi affluxus humorum. Quum omnis præterea affluxus major quam ordinarius congeſtionem humorum ſupponat; nulla autem congeſtio ſine motus tonici in locum evacuationis directione oriatur; hinc quamdiu operatio purgationis durat, tum diu congeſtiones ex aliis locis revocantur, & motus tonicus a partibus ſuperioribus vel exterioribus invertitur ad interiores vel inferiores. Purgantia adeoque, dum invertunt motum tonicum, revocant

affluxum ſanguinis & humorum nimium a capite & partibus ſuperioribus; & dum evacuant ſimul mucum & ſerum in loco ad hanc excretionem naturaliter deſtinato, affluxum hujus excrementi a loco minus tuto retrahunt, & in loco apto exterminant. De pilulis cephalicis vulgo creditur, quod caput purgent: raro vero conſideratur, per quod cribrum excrementa ejiciant; quod alio modo fieri non poteſt, niſi revocatione muci & humorum ſeroſorum ad ventriculum & inteſtina. Sic obſervavi, quod purgantia fortiora & ſenſibiliter ſtimulantia tuſſim humidam & copioſam, Phthiſin minitantem, interceperint per ſufficientem & continuatam revulſionem.

§. XXIII.

e) itemque clyſteres.

Optime quoque & ſecuriori modo quam purgantia revellunt clyſteres ſtimulantes & purgantibus acuati, præprimis in ſubjectis hæmorrhoidibus obnoxiis. Sæpiſſime enim accidit, ut hæmorrhoides regurgitantes caput vel pectus repleant, a quarum regurgitatione in capite apoplexia, hemiplegia, cephalalgia, in pectore aſthmata, inflammationes, tuſſes ferinæ vel phthiſicæ ne ſuboriantur timendum eſt. Quid in hujusmodi caſibus utilius & convenientius inveniri poteſt, quam revulſio congeſtionum in eum locum, ad quem ex naturæ præſcripto pertinent? Eandem utilitatem adferunt quoque in fœminis, quæ ex menſium fluxu impedito & regurgitante male ſe habent: in his tamen affectibus non nudi emollientes, ſed ſimul ſtimulantes clyſteres injiciendi ſunt ex decocto prunorum

rum cum foliis sennæ, sapone Veneto, & sale aliquo stimulante parati. Junckerus etiam in hemicrania revellentia in locis remotis laudat, e. g. evacuationes sanguinis, in partibus inferioribus, laxantia, pediluvia frictiones lateris oppositi, applicationem cucurbitularum cæcarum & in malo refractario vesicatoria suris applicata.

§. XXIV.

d) nec non diuretica.

Dantur & casus, in quibus diuretica pro scopo revellendi opem præstant. Tum enim cum stimulo aliquo urinam evacuant, alliciunt materiam seroso catarrhalem, a capite & pectore ad renes, ubi tutiori modo quam in capite & pectore excernitur. Ast solis diureticis haud fidendum. Eorum enim operatio non tota ad renes tendit, sed eadem facilitate in locum affectum dirigitur. Hinc sine adminiculis externis, præprimis clysteribus, frictionibus, & cucurbitulis, in dorso applicatis optato cum effectu raro adhibentur.

§. XXV.

e) denique diaphoretica.

Referuntur & *diaphoretica* inter revellentia, quando scilicet materia morbosa visceribus pectoris & abdominis inhærens, in peripheria corporis tutior secernitur vel excernitur; & hæ revulsionis species a veteribus dicitur: *revulsio ab intus ad extra.* Sed eandem cautam curam postulant diaphoretica quam diuretica. Eorum enim operatio consistit in augmentatione motus humorum & resolutione sanguinis in serum, quod

vero non semper & certo in cute, nisi natura cooperante, sed plerumque & interne in loco affecto secernitur & excernitur. Quodsi autem operatio diaphoreticorum adminiculis externis, fotibus, frictionibus, pediluviis, balneis, imo pro re nata vesicatoriis, suffulcitur; scopus faciliori modo optinetur. Exulent vero semper diaphoretica calida, volatilia & spirituosa, & tutius adhibentur fixa & aquosa, ex aquis diapnoicis & decoctis theiformibus consistentia.

§. XXVI.

2) externis, nimirum α) sanguinem evacuantibus; in quibus est a) venæsectio.

Inter revellentia externa & quidem sanguinem evacuantia, & simul congestiones revocantia, primum est *venæsectio*. In hac præscribenda veteres nimis faciles fuerunt, non ubique tamen cauti; sæpius enim in hæmorrhoidum & mensium fluxu nimio venæsectionem in brachio administrarunt, parum solliciti, an proficuum sit eo modo fluxum supprimere. Experientia enim in dies docet, quod facile sit fluxus ejusmodi cohiberi, difficile vero eos restitui, & quod suppressos presso pede sequantur plura mala consectaria. Venæsectionem quoque in brachio commendant in affectibus lienis, pectoris, hepatis, ventriculi, renum &c. quæ vero raro nisi in plethora, & subjectis junioribus, & magis pro scopo depletorio, quam revulsorio, effectum laudabilem edit. In plurimis subjectis in ætate media ac vegetiori degentibus affectus infimi ventris pro prodromis & moliminibus hæmorrhoidum habendi sunt, in quibus venæsectio revulsoria in cubito vel manu majorum turbarum auctor esse

potest.

poteſt. E contrario autem derivatoria in pede convenientior eſt, & viam ſternit ad expeditiorem ſanguinis hæmorrhoidalis evacuationem. Uno verbo: raro venæ in partibus ſuperioribus ſecure ſecantur, præſertim poſt annum trigeſimum, meliori vero cum effectu in pedibus adminiſtrantur etiam ante annum trigeſimum: in ſpecie ſibi caveant juvenculæ & mulieres, ne hujus generis venæſectiones in brachiis inconſiderate, & ſine reſpectu ad menſium fluxum fieri permittant.

§. XXVII.

Ejusdem conditionis eſt alterum medium revulſorio-evacuatorium, quod *ſcarificatio* adpellatur. Negari quidem non poteſt, quod in corporibus ſpongioſis ſæpius commode adhiberi poſſit & majoris & præſentioris ſit utilitatis quam venæſectio. Intuitu enim faciei effectus revulſorius dubius non eſt, ſi ſcarificatio fiat in ſcapulis, tergo & femoribus. Qui uſus de venæſectione prædicari non poteſt; ex anterioribus enim congeſtio ſic retrorſum trahitur, & multis medetur malis faciei partes occupantibus. Prodeſt quoque revulſio per ſcarificationem partium inferiorum coxarum & crurum in multis aliis affectibus capitis congeſtoriis: at iterum cautius mercandum eſt cum hac evacuationis & revulſionis ſpecie, ne ex inferioribus partibus retrahamus congeſtiones ad ſuperiores & ex interioribus perverſo conſilio ad externas. Natura enim, dum molitur hæmorrhoides vel menſes producere, facili negotio in hoc conamine laudabili ad

b) ſcarificatio.

errores feducitur, & defiftit ab interno proficuo fine & evacuatione. Sic in dolore capitis cum menfium fluxu complicato mulier viginti fex annorum perfuadetur cucurbitam cum fcarificatione in verticem adplicare; mox menfes fiftuntur, nunquam redeunt, & dolores capitis in ætatem usque fexagenariam pertinaciter fæviunt. Si unquam fcarificatio revulforia locum habet, cum emolumento admittitur in fcapulis, tergo & femoribus in affectibus faciei catarrhofis, vel in gutta rofacea; in fcabie autem retrogreffa, ea in plurimis corporis partibus extremis & periphericis inftituitur. Nocet vero in moliminibus hæmorrhoidalibus internis, quia illa congeftiones a loco excretionis revocat, & naturam ab excretione laudabili diftrahit. Quodfi contra conducit congeftiones a capite revocare, & quidem in corpore fpongiofo; fcarificatio locum habet in coxis, femoribus & furis.

§. XXVIII.

(c) adplicatio hirudinum.

Tertium revulfionis medium evacuatorium confiftit in applicatione hirudinum. Hæ funt animalcula aquatilia, fanguinem fuctu elicientia, & operantur tam evacuando, quam fuctu dolorem inducendo, ficque motum tonicum invertendo & congeftiones a partibus remotis avertendo & revocando. Inter revellentia ufitata & utilia non ultimum locum tuentur, verum vero eadem cum prudentia adhibendæ funt, qua venæfectio & fcarificatio. Raro fcilicet pro fcopo derivante in partibus fuperioribus admittas: quanquam juxta aliorum mentem revellentium vices

Quando hæc minus fuccedat?

fuftinere

ſuſtinere videantur; ſi videlicet pone aures ponantur ad rubedinem faciei revellendam. In hunc ſcopum adplicatæ opem quidem præſtant, ſed momentaneam & inconſtantem: exorta enim nova congeſtione, rubedo cum fœnore recrudeſcit, & conſuetudinem ad ulceroſæ materiæ excretionem inducunt. Id quod tentaverat atque periclitata erat juvenis nobilis quædam fœmina, quæ jam quinquagenaria, usque adhuc hæc experimenta dolet & luget; ulcera enim madentia in loco ſuctionis erupta, in hunc usque diem cum tædio habet. Firmo hinc ſtat talo Hippocratis ſupra (§. VIII.) allegata ſententia de Venæſectione revulſoria. *Studendum eſt ut quam longiſſime &c.* quæ & ad hunc hirudinum uſum adplicanda eſt.

§. XXIX.

Eminentiori cum utilitate in congeſtionibus partium ſuperiorum ad ſuras & pedes hirudines ut revellentia admittuntur. Siquidem nota mihi eſt mulier aſthmatica quæ majus ſemper levamen ex ſuctu hirudinum, quam a venæſectione in pede ſenſit. Dantur αἱμόφοβοι, venæſectionem abhorrentes, qui hujus loco hirudinum applicationem libenter ferunt. Specialiter vero & prudenter adhibentur ad venas hæmorrhoidales externas, quando mens eſt, fluxum hæmorrhoidalem aut ſuppreſſum revocandi, aut molientem excitandi, quo reſtituto vel promoto ſymptomata abdominis aut præcordiorum hypochondriaca mitigantur. De horum animalculorum uſu legi meretur, diſſertatio Stahlii de Sanguiſugarum utilitate anno 1699. Halæ

Quando melius?

læ edita & 1705. recusa, in qua utilitas tam generalis, quam specialis per casus demonstratur, & eorum usus medicis quam maxime commendatur: itemque alia dissertatio non infimæ sortis, quam edidit Crausius, Jenensis, anno 1695. de hirudinibus, quæ pari fructu & commodo, atque prior recensita, legentem recreabit. Potissimum vero ac specialiter in priori usus in negotio hæmorrhoidali ostenditur & commendatur.

§. XXX.

β) Serum educentibus quorsum pertinent (a) vesicatoria.

Serum educentia revellentia, sive quæ materiam seroso-catarrhalem evacuando, simul a partibus minus congruis & nobilioribus ad ignobiles alliciunt, sunt vesicatoria & fonticuli, quorum operandi ratio vero major est in irritatione ardoris & doloris, quam in nuda evacuatione. Consentientem hic invenio dissertationem Albertianam de therapia per dolores, anno 1730. editam, in qua plurium remediorum fit mentio. §. 4. specialiter, & primo loco ponuntur vesicatoria. Quorum operandi ratio ita describitur, quod non consistat in nudæ vesicæ excitatione, vel seri morbosi in hanc vesicam evacuatione, neque in analogia, qua alias venenum externe adplicatum, venenum in corpore latens abducere, attrahere, & ad se allicere creditur, sed magis in dolorificæ sensationis inductione, & motus inversione & mutatione. Verba auctoris heic locum merentur: „ Inde facile liquet, quod hi dolores, quos „ vesicatoria excitant, præcipue connexos motus alte„ rent & per hosce reliquas morbosas affectiones cor„ rigere ac sub perita ordinatione, directione, & mo-

„difica-

„dificatione salutarem effectum promovere adjuvent. „Quo minus itaque vesicatoria dolent, eo minus, „quoad reliquum usum operantur; quo magis dolo„rem causantur, eo potentius ac citius alterationem „perficiunt: quare sæpe sola ad revulsionem suffi„ciunt.„

§. XXXI.

Quomodo hæc utiliter adplicari debeant.

Si commode adeoque cum optata utilitate vesicatoria ut revellentia adhibere intendimus, magis præstat ea in loca a partibus affectis remota adplicare: in suris hinc semper securior eorum est locus, quam in cervice, scapulis & humeris. Experientia quidem testatur, quod vesicatoria cubito adplicata, dolorem dentium prompte mitigarint. Quærendum autem est, an non eadem promptitudine vesicatoria suris adplicata dolorem dentium mitigare vel tollere possint? Experientia doctus id affirmo. Contra vero dehortor ab eorum usu in capite vel cervice; sæpius enim affluxum humorum ad mortem usque promovet, quod in affectibus soporosis & deliris non semel ex aliorum damno vidi, & expertus sum, præsertim cum vesicatorium magnum, magna cum fiducia toti abraso capiti impositum fuit.

§. XXXII.

Num huc setacea possint referri?

Setacea a plurimis medicis ad revellentia referuntur: dum autem semper in loco parti affectæ proximo applicantur, e. g. in affectibus oculorum in cervice: majori jure inter derivantia numeranda sunt.

§. XXXIII.

(β) Fonticuli.

Inter revellentia evacuantia locum, non infimum tenent fonticuli, qui a plurimis quidem medicis in affectibus oculorum, derivationis scopo in brachiis excitati, commendantur; majorem tamen effectum in his affectibus præbent, si revulsionis gratia in inferioribus partibus, in tibia vel sura excitantur.

§. XXXIV.

γ) non-evacuantibus.

Sequuntur nunc *revellentia non-evacuantia* sed solum mediante dolore, ardore, calore, & relaxatione fibrarum operantia, tonum invertentia, & congestiones a partibus superioribus, vel nobilioribus ad inferiores & minus nobiles avertentia; & hæc sunt urticationes, sinapismi, rubefacientia, frictiones, cucurbitulæ cæca, ligaturæ, compressio digiti, acupuncturæ, item balnea, pediluvia, fotus calidi. Veteres in multis remediis crediderunt vim attractivam, sicuti & naturæ adscripserunt vim expulsivam. Hinc Roboretus, qui anno 1592. tractatum de vesicatoriis edidit, de quatuor modis operandi hæcce profert: „*Operantur re-„vellentia aut per dolorem, aut per calorem vel vi vacui, „vel substantiæ similitudine.*„ Per dolorem revellunt vesicatoria, sinapismi, urticationes, ligaturæ, compressio digitorum, cucurbitulæ; ubi enim dolor, ibi affluxus. Per calorem operantur balnea, pediluvia, fotus. Vi vacui venæsectio & purgantia; substantiæ similitudine vesicatoria sive in iis contentæ cantharides. Uti enim bufo exsiccatus vulneri ex morsu viperæ impositus humores & cum his venenum ita attrahit, ut in-

Quomodo veteres hoc explicaverint?

tumescat

tumescat ad magnitudinem viventis; ita cantharides in vesicatoriis virus in corpore latens extrahere a veteribus creditum est. Quem vero attractionis modum ad qualitates occultas nondum satis demonstratas, refero, & contra rationi magis consentaneum esse censeo, effectum hunc, nempe elevationem vesicæ, dependere instrumentaliter ex motu auctiori tonico eò a natura directo, ut una cum serosa materia virulentia a cantharidibus in poros cutis insinuata, rursus evacuetur, ne illa quoque incommodum corpori inferat.

§. XXXV.

Admon-evacuantia referunt (a) urticationes

Vrticationes fiunt, dum membra vel artus urticis minoribus leviter cæduntur, vel fricantur, ut sensus ardoris, & rubor excitetur; membra plerumque paralytica, & sensus expertia cæduntur, ut influxus alliciatur spirituum. Sicuti vero sensibilitas longe aliam, quam spirituum præsentiam pro causa agnoscit, ita & raro effectus speratus ex urticatione resultat. Quid? quod sine hujuscemodi sensu membris paralysi tactis urticationes, & alia irritantia accommodantur: præstantiori cum effectu deprehenditur hoc medium revellens in scabie retropulsa revocanda.

§. XXXVI.

(b) Sinapismos.

Sinapismus est seminis sinapi vel solius vel cum aliis rubefacientibus cuti ardorem & rubedinem inducentibus adplicatio. Promptius operatur sinapi cum aceto vel vino paratum, quale inter embamma-

ta mensæ adponitur, non sine emolumento in forma cataplasmatis plantis pedum vel suris impositum vidi, quando aut pustulæ aut alia exanthemata pedum retrogressæ fuerunt. Elicit quoque id capiti suprapositum achores retrogressos. Præsentaneo item cum effectu mammis supponitur, quando nempe catarrhi, in hoc loco familiares, retrogradi facti, cardialgiæ vel aliorum pathematum auctores fuerunt. Sic mihi nota est fœmina, quæ post exsiccatum catarrhum, quo sub mammis diu laboraverat, ex cardialgia fere maniaca facta, cui vero supraimpositus cum linteolis sinapismus præsentaneam operam præstitit, revellendo scilicet catarrhum ab internis partibus nobilioribus in locum excretionis consuetum.

§. XXXVII.

(*c*) *Frictiones.*

Frictiones, quando excutia vel pannis asperis aut laneis aut linteis, cutis ad rubedinem & dolorem usque fricatur, non leviorem vim revellendi habent & partim ex interioribus ad peripheriam, partim a superioribus ad inferiores partes motum tonicum vertunt.

§. XXXVIII.

(*d*) *Cucurbitularum cœcarum usum.*

Cucurbitularum cœcarum sine scarificatione usus, per sensum ardentem, quem inducunt, revellit. Veteres eorum usum commendarunt in hæmorrhagia narium ad hypochondria, in fluxu mensium nimio ad mammas. Existimo autem, eas in priori casu majori cum fructu ad coxas & femora, in altero vero ad tergum

gum esse adplicandas. Mammas enim ut organa delicatiora facile lædere & ad indurationes, vel nimiam intumescentiam disponere valent.

§. XXXIX.

Balnea, *pediluvia*, & *fomenta calida* mediante calore & relaxatione fibrarum congestiones alliciunt, & partes affectas, tam interiores quam superiores ab iis liberant. De balneis habeo, quod laudare possum, scilicet materiam, causam torminum infantum, in peripheriam ex intestinis ducunt, & inquietudinem brevi sopiunt. De *thermarum* usu revulsorio tam ab internis ad externas partes, quam a partibus superioribus ad inferiores, quando quæritur, quo tempore diei tutius adhibendæ sint? respondeo, quod optime ante meridiem ab hora nona vel decima usurpentur: tota scilicet peracta chylificatione & sanguificatione, præprimis si simul mane bibantur aquæ medicatæ. Alliciunt enim tali modo aquas in intestinis adhuc fluctuantes per vasa mesaraica in sanguinem, qui intime cum eis miscetur & diluitur. Deinde si frigidæ in copia ingurgitatæ acidulæ sensum frigoris in peripheria excitarunt, hic commode per calorem humidum temperatur & corrigitur. Vitandus vero est calor nimius, ne ebullitiones massæ sanguineæ inducantur. Post balnea quoque vitanda est refrigeratio externa usque ad prandium. Quæ vespertino tempore adhibentur balnea, hoc quidem commodum habent, ut corpus in continua transpiratione maneat: in eo vero nocere possunt, quod chylum non satis elabora-

(e) Balneorum, pediluvii & fomentorum thermarumque usum.

tum, & crudum præmature in sanguinem alliciant, & sic tam cylificationem quam sanguificationem turbent. Evacuatis vero intestinis, ante meridiem nihil peregrinum in massam sanguineam ducere possunt.

DE USU REVELLENTIUM.

§. XL.

Contra quosnam morbos revellentium valet usus?

Operandi ratione satis demonstrata, nunc contemplabo morbos & affectus quosdam, in quibus revellentia prosunt & cum emolumento adhibentur. Hi vero sunt *congestiones*, *hæmorrhagiæ*, *spasmi*, *convulsiones*, *deliria*, *catarrhi*, *affectus retrogradi*.

§. XLI.

Quinam morbi ex congestionibus versus caput & versus pectus oriantur?

Ex congestionibus versus caput oriuntur hæmorrhagiæ narium, inflammationes, deliria, catarrhi, vertigines, affectus soporosi, apoplectici, epileptici; circa pectus hæmoptysis, pleuritis, tussis, asthmata, & plurimi horum affectuum periculum minitantur. Quapropter locum habent revulsio & media revellentia.

§. XLII.

Congestionibus sanguinis & humorum erroneis generatim quomodo medendum?

In congestionibus sanguinis & humorum, quæ est quasi scaturigo plurium aliorum affectuum natura intendit finem excretionem aut sanguinis sinceri aut in serum catarrhosum soluti peragendi. Medicus hinc merito considerat, an impulsus naturæ sufficiat ad finem

nem propositum sine impedimento attingendum. In hoc casu naturæ soli relinquendum est opus. Cum vero errantem & pertinacem medicus observat naturam, quæ congestiones in loca minus apta & periculosa dirigit: e. g. quando in annosioribus hæmorrhagiam narium plane incongruam molitur, & prævia vertigine facile apoplexiam excitare valet; deinde quando in pectore hæmoptysin, vel catarrhum suffocativum illa minatur: de tempore naturæ erranti obex ut ponatur, & per revellentia congrua congestiones revocentur, necesse est. Junckerus in conspectu medicinæ, in congestionibus generatim consideratis, methodum medendi sequentibus exorditur: „*Alvus, quæ in* „*congestionibus ordinarie stricta est, solvatur, & soluta* „*servetur, 1) vel per blandum laxans e.g. rhabarbarinum,* „*pill. Becheri c. extr. helleb. nigr. combinatis, magnesiam al-* „*bam &c.* „ hac ratione revulsio quoque humorum a superioribus partibus obtinetur. Non sola vero hæc sunt revellentia in congestionibus proficua, sed quoque prosunt venæsectio, scarificatio, frictio, pediluvia, balnea, vesicatoria.

§. XLIII.

In *hæmorrhagiis* in genere commendat Junckerus ligaturas, cum circumspectione. Quoad speciales sive particulares hæmorrhagias vero notandum est, quod si hæ ætati conveniant, inque loco non periculoso oriantur, & modum in quantitate non excedant, potius τῇ αὐτοκρατείᾳ naturæ relinquendæ, quam cohibendæ sint. Si vero vitiosæ appareant & freno indigeant, revellentia

Quomodo generatim hæmorrhagiæ medicandæ sint?

vellentia inter auxilia alia non ultimum locum occupant.

§. XLIV.

Quomodo hæmorrhagiæ narium sedentur?

Præprimis in *hæmorrhagia narium* excedente, tam in juvenili & adulta ætate, quam in annosioribus subjectis revellentium commodus est usus, & quidem venæsectio in pede tam curative in paroxysmo, sed cautius adhibenda, quam præservative ad præoccupandum reditum. Hofmannus in Med. ration. system. Tom. IV. P. II. p. 18. „*In graviori*, inquit, *malo impetus sanguinis divertatur, hunc in finem proficua est palmario venæsectio in parte inferiori, dein pediluvia temperata.*„ Junckerus in hoc affectu, pediluvia, quæ revellendi scopo bene se commendant, proponit: & hæc sæpius sola sufficiunt. Si vero scopum non tangunt, tunc locum habet venæsectio, quæ respectu profusi sanguinis aut larga aut exigua portione fieri, imo urgente necessitate repeti potest. In ætate puerili sola sufficiunt pediluvia & conservatio corporis in æquali calore. Sic quondam puerum orphanotrophum, qui, adhibita aqua frigida, totus frigore tactus morti proximus erat, restitui per calefactionem in lecto, qua procurata, in momento sanguinis stillicidium cessabat. In Alberti Therap. methodo medendi prima indicatio est tempestiva diversio & revulsio, quæ consistit in venæ sectione, frictionibus inferiorum, cucurbitulis cœcis ad inferius dorsum, & rubefacientibus ad plantas pedum.

§. XLV.

§. XLV.

De *hæmoptyſi* cel. Junckeri in conſpectu med. quartum momentum ſive indicatio in methodo medendi eſt, *revulſio* & æqualis diſtributio ſanguinis per totum corpus, ubi ſub littera b) revellentia etiam externa, hic locum & uſum habent, v. g. ligaturæ, frictiones, ſinapismi in remotis partibus, fotus calidi manibus, & inprimis plantis pedum applicandi; laxationes moderatæ & repetitæ nonnunquam inſtituantur, præcipue, quam primum congeſtiones verſus pectus obſervantur. Circumſpecta venæſectio hirudinumque applicatio num. 5. laudatur. b. Hoffmannus l. c. „*Quæ ſanguinem a pulmonibus divertunt, ſunt venæſectio, pediluvia, laxantia tamarindinata, paſſulata, rhabarbarina, & clyſteres emollientes.* „ Ligaturas extremorum caute uſurpandas etiam commendat, ut ſedata hæmorrhagia, non omnes ſimul ſed ſucceſſive una poſt alteram ſolvantur. *Quomodo hæmoptyſis ſananda?*

Optima & quidem nunquam intermittenda in hæmoptyſi ſunt revellentia. Quia vero locus hujus hæmorrhagiæ periculoſiſſimus eſt, & a prima ſæpe eruptione pulmonibus labes immedicabilis infligitur; mirum non eſt, ſi non ſemper voto reſpondeant media appoſitiſſima. De venæſectione præprimis notandum, quod largior eſſe debet, non ad uncias, ſed unam vel alteram libram adminiſtranda ſit, præſertim præſervative inſtituta, & curative non prius experiunda, quam quantitate ſufficiente ſanguinis jamjam ejecta.

Veſicatoria in hæmoptyſi raro commendantur,

 quia

quia præconcepta opinione laborant practici, ac si virulentum quid cantharidum, cum sanguine communicetur. Verum enim vero quando catarrhus quidam ulcerosus retrogressus cum hæmoptysi complicatus est, convenienter & sine noxa, pro revocando catarrho, ad suras applicari, cauto tamen & moderato usu, possunt; nam abusus nocet.

§. XLVI.

Num ad vomitum cruentum revellentia conducant?

Raro quoque revellentia in vomitu cruento laudantur: cum vero, ut sæpius fieri solet, ex obstructione mensium vel hæmorrhoidum, vomitus ortum ducat; unica nonnunquam venæsectio revulsoria in pedibus & quidem repetita sufficit ad menses revocandos & periodum eorum restituendam; ita quoque *hirudines* ad loca hæmorrhoidalia appositæ fluxum revocant, & morbum solvunt. Quorum usus, per alia quoque revellentia suffulcitur, scilicet per venæsectiones in pedibus, pediluvia, fotus, clysteres & extra paroxysmum per specialia & lenia laxantia præprimis rhabarbarina.

§. XLVII.

Quinam usus revellentium in hæmorrhagia vulnerum?

In hæmorrhagia vulnerum sæpius etiam locum habent revellentia, & quidem primario venæsectio in loco opposito & a vulnere remoto: præprimis, quando in festina deligatione sanguini effluxus nimis cito denegatus fuerit. In ebriis & plethoricis vulneratis hæmorrhagia larga proficua est: præmatura enim suppressa plerumque recrudescit & pericula minatur,

&

& de novo repressa inflammationum, dolorum & febris auctor est. Quid? quod difficilioris curationis sunt vulnera plethoricorum. Leonhardus Fuchsius Libr. VI. de morbis medendis cap. XI. quinque modos ad sanguinem sistendum proponit. Primus est qui fluxionem avertit tum revellendo, tum derivando. Quæ profluvium avertunt, id partim efficiunt citra ullam extra corpus evacuationem, alia vero cum evacuatione. Citra evacuationem avertunt, & alio trahunt cucurbitulæ sine scarificatione cum multa flamma admotæ, item frictiones & ligaturæ sive vincula, primum in propinquioribus partibus, deinde in remotioribus adhibita. Cum evacuatione autem avertitur, atque ad alias partes convertitur sanguis, tum ad proxima derivatus, tum ad contraria revulsus, vena in ea parte incisa, quæ e directo profusioni respondet, & quæ ipsis partibus sanguinem fundentibus juncta est, & quidem parce sed repetita vice. Hanc sanguinis evacuationem ille commendat ex autoritate Galeni.

§. XLVIII.

itemque in affectibus dolorificis capitis.

In *affectibus capitis dolorificis*, cephalalgia, clavo hysterico, hemicrania, cephalæa, odontalgia & otalgia hincinde tam a veteribus, quam neotericis commendantur varii generis revellentia. Plurimi enim affectus capitis originem ducunt a congestionibus sanguinis & humorum. Quæ media vero congestiones revocant, & revellunt, hæc primum locum curationis tenent & tuentur. Sennertus Lib. I. Part. I. cap. VI. catalogum *a capite revellentium* in chartam projecit:

quæ sunt venæsectio, cucurbitulæ sive scarificatio, hirudines, clysteres, purgantia, frictiones, ligaturæ, vesicatoria, fonticuli. In qua classe nihil desideratur quam balnea & pediluvia.

§. XLIX.

Et specialiter in cephalalgia. In *cephalalgia* methodus medendi ill. Junckeri, in Consp. med. primum hoc indicans habet. *Motus humorum specialis a partibus superioribus ad inferiores revocandus est: hinc ante omnia alvus, quæ ordinarie est adstricta, solvatur vel per clysteres emollientes, carminativos; vel in casu minus urgente, per lenia laxantia; & extra paroxysmum per venæsectionem, cui ad meliorem derivationem pediluvia præmittantur.* In cautelis dicit: *pediluvia in omnibus congestionibus, quæ versus caput & pectus contingunt, multum levaminis exhibent: sanguinis enim versus illa loca restrictionem relaxant & ad pedes ducunt.* De venæsectione, cautela 33. habet: *unicum & certissimum artificiale remedium est venæsectio in pede, magna autem incisione, & sufficiente quantitate administranda est, ut eo major alteratio obtineatur. In gravidis, cephalalgia correptis, in brachio quidem olim instituebatur, hodie autem in ipsis pedibus sine formidine venam secamus.* Eandem fere methodum in cephalalgia sanguinea proponit Alberti in Therapia, item in cephalalgia prodromo apoplexiæ; ubi prima indicatio est, *ut tempestiva revulsio administretur;* hanc vero efficit per laxantia aloëtica & helleborata, per pediluvia, frictiones, venæsectiones in pede.

§. L.

Quinam De vesicatoriorum usu revulsorio in doloribus capitis

pitis facile dubitare potest neo-practicus, cum in per paucis scriptis hæc commendata inveniat, contra vero in medicina b. Hoffmanni systemat. legat, quod capiti vel partibus huic proximis adplicentur. Ast si perpendit, quod cetera revellentia in locis remotioribus commendentur, haud difficulter concludere potest, rationi consentaneum esse, ut hoc remedium ad partes dissitas pertineat. Derivationis quidem gratia vesicatoria cervici applicata aliquando opem præstant præsentaneam, sed non constantem, & postea naturam seducunt ad pertinaciores congestiones. Ex eo, quod in commerc. litt. Norimb. 1734. pag. 27. legitur: „*Contra ex reme-* „*diis externis bulborum allii applicatio ad plantas pedum* „*facta, cephalalgias vel contumacissimas absque noxa depellit, id quod per repetitas observationes firmatum habeo.*„ colligi potest, quod, quid præstet minus, id magis præstare possit & majus. Saniorem præ b. Hoffmanno sententiam fovere videtur cel. Junckerus, in Consp. med. Tab. de hemicrania. In hemicrania ubi in locis remotis *revellentia* laudat e. g. *evacuationes sanguinis in partibus inferioribus laxantia, pediluvia, frictiones lateris oppositi, adplicationem cucurbitularum cœcarum, & in malo refractario vesicatoria suris applicata.*

usus vesicatoriorum in doloribus capitis?

§. LI.

In *odontalgia* ad mentem ill. JUNCKERI l. c. p. 216. *revulsionem adfluxus promovent interne purgantia, externe venæsectiones, scarificationes repetitæ, vesicatoria prope flexuram cubiti in latere affecto.* Ego autem hæc malim

Quinam usus revellentium in odontalgia.

ad furas applicare; quanquam in flexura cubiti adhuc tutiora ſint iis, quæ cervici imponuntur.

§. LII.

itemque in vertigine.

Ad affectus capitis refertur quoque *vertigo*. In hac ill. IVNCKERVS l. c. p. 236. commendat primo loco *laxantia blanda ad revellendos humores verſus caput congeſtos*.

GOHL in praxi clinica & forenſi p. 53. medicamentum adhuc unicum producit, quod magis revulſorie agere poſſit, & conſiſtat in *pulvere ſquillæ præparatæ*. part. I. *Rad. Cyper. rot. pulver*. p. II. hujus pulveris gr. v. cum ſale aliquo incidente miſcenda & alternis diebus propinanda ſunt. Ejus verba germanico ſtylo expreſſa ſunt: „Es macht einen gewiſſen ſenſum revulſo„rium, der von Haupt merckliche diverſiones ſchafft, „welches ich ſchon bey andern Patienten mehr, die „chronica vertigine laboriret, obſerviret habe.„ In diſſertatione Lipſienſi de vertigine ao: 1640. edita §. 50. commendatur *revulſio in vertigine* & quidem *frictio & ligaturæ dolorificæ in partibus a capite remotis*, it. *pediluvia*, & *venæſectio in pedibus*. Auctor ligaturas in vertigine idiopathica in brachiis, in ſympathica in pedibus fieri jubet, & rationem addit: „Scilicet quæ cautela ob„ſervari ſtudioſe debet, ne alias pro revulſione fiat at„tractio ad caput, quod ſi enim vertigo eſt per con„ſenſum & ligentur brachia, fiet a partibus inferiori„bus aſcenſus materiæ ad caput.„ Hoc etiam opinatur de frictionibus. Cum vero vertigo idiopathica pari modo ac ſympathica, per congeſtiones ad caput

oriatur:

oriatur: sequitur quod media revulsoria solum ad partes inferiores adplicanda sint. Alia Rolfinciana dissertatio de vertigine de anno 1644. habet. „*In sympa-* „*thica vertigine, venæ inferiores secandæ, quæ non solum* „*revellunt sed & evacuant.*„ Idem alia sub Schellhammeri præsidio ventilata §. 29. primam indicationem methodi medendi in *revulsione* locat.

§. LIII.

Apoplexiæ & hemiplegiæ prodromus plerumque in annosioribus est vertigo, hinc non nisi gradu differunt vertigo & apoplexia, & ab eadem causa, a congestionibus, originem ducunt, adeoque eandem postulant methodum, tam præservandi, quam curandi. Prolixitatem hinc evitare studeo. Unicum ratione vesicatoriorum addo, quod in apoplexia quamquam lethali tantæ virtutis sint resuscitantia, ut ægroti, illis adplicatis, aliquando motum & loquelam recuperent. Sic uti mihi casus ex praxi parentis mei pie colendi in mentem venit, de duobus viris nobilibus, quorum, post quatuor simul adplicata vesicatoria, ratio, & loquela, & præterea alteri potentia eundi restituebatur, non obstante, quod prior quarto, posterior septimo die, moriretur. In apoplexia vero incompleta, quæ in nimia congestione, nondum vero peracta extravasatione, consistit, tam vesicatoria, quam alia revellentia optatum præbent effectum.

Porro in apoplexia & hemiplegia.

§. LIV.

Epilepsiam symptomaticam in infantibus, præpri- mis

Tum in epilepsia.

mis cum ex catarrho retrogresso originem duxit, multoties per applicationem vesicatoriorum in suris factam vidi. Nec in tenellis corporibus eorum ardor vel dolor reformidari debet. Si ad mentem vel normam mechanicorum judicassem, in morbis convulsivis nunquam ausus fuissem vesicatoria adhibere: hi enim cum causam convulsionum in irritatione quærunt, omnia vellicantia & dolores inducentia rejiciunt. At non solum epilepsia, verum etiam morbus ille convulsivo-spasmoticus, germanice Kriebel-Kranckheit dictus, repetito usu vesicatoriorum aliorumque revellentium sæpissime superatur & eradicatur.

§. LV.

deinde in affectibus soporosis.

In *affectibus soporosis* juxta cel. JVNCKERVM in Consp. med. p. 916. ad sensus excitandos & decubitum humorum a capite partim revellendum conducunt. a) *Clysteres stimulantes vel suppositoria acria*, b) *Ligaturæ partium oppositarum*, c) *frictiones*, d) *vesicatoria*, e) *cataplasmata rubefacientia plantis pedum supposita*, f) *salia volatilia naribus adplicata*, g) *pilorum evulsio*, h) *acupuncturæ*. Et caut. 3. p. 918. *Fonticuli*, inquit ille, *senioribus mucum serosum a cerebro revellunt & sic stases soporosas præoccupant.* WEDELIVS in affectibus soporosis, quando clysterem acriorum & suppositoriorum usum commendat, rationem adjicit, *quia ani sensus longe delicatior est quam reliquorum intestinorum.*

B. Schelhammer in dissertatione de lethargo p. 29. commendat. a) *Venæsectionem*, b) *Cucurbitulas*, cum hac ratione: *hæ enim simul materiam revellunt, evcuant*

&

& facultatem animalem sopitam excitant. §. 53. *maximam quoque promittunt utilitatem vesicatoria, quæ imminentem avertunt & præsentem multum imminuunt.* Unde Willisius duos, hoc potissimum remedio, sanatos se vidisse testatur; humores enim serosos a centro ad circumferentiam attractos evacuant, & simul vi dolorifica exsuscitant ægrum.

§. LVI.

In lypothymia cel. Junckerus l. c. p. 923. habet: *methodus medendi per exsuscitantia & refocillantia, in plurimis convenit cum methodo revulsoria.* Affectus hic aliquando ex spasmo sive motu tonico, in toto corpore ad spasmum usque aucto, oritur, mediante quo congestiones versus caput uberiores fiunt. In hoc casu revellentia spasmos infringunt, & congestiones revocant. Præstat quoque præsentaneum effectum calefactio pedum per lateres vel lagenulas, aqua calida impletas, item si vires permittunt, per pediluvia. *in lypothymia.*

§. LVII.

In *affectibus pectoris* non minori utilitate adhibentur revellentia, præprimis, quando catarrhi retrogressi fovent affectum. Sic asthma vel catarrhus suffocativus solo pediluvio sæpius in momento mitigatur: & in infantibus, vesicatoriis suris applicatis, non semel sublatum hunc affectum periculosum vidi. Primum indicans ill. Junckeri, l. c. p. 305. in Phthiseos medendi methodo est sequens: *adfluxus sanguinis copiosior ad pectus derivandus est per venæsectionem, scarificationem, pediluvia,* *in affectibus pectoris.*

luvia, laxantia lenia. Cel. Schulzius in dissertatione de Phthisi §. 32. ita loquitur: „*Vesicatoria in hoc morbo* „*aliqui non de nihilo habenda docent, ut & fonticulos; sa-* „*lia enim acria ex corpore educunt, & sic impediunt, ne ad* „*pulmones delabi, & statum præternaturalem in iis inferre* „*& augere possint.*„

§. LVIII.

in tussi humida. In *tussi humida* purgantia largiter evacuantia, non alio scopo quam revulsorio, cum fructu propinantur. Mucum enim, per pectus exitum quærentem, in alium aptiorem, locum excretionis revocant. Sic tussis convulsiva infantum optime infringitur, partim per laxantia, partim per vesicatoria suris adplicata.

§. LIX.

in pleuritide. Complures *pleuriticorum*, auxiliante Deo restitui vesicatoriis suris applicatis, præprimis ejusmodi ægrorum, in quibus aut catarrhus ulcerosus, ulcera crurum, scabies, erysipelas, aut alia mala cutis retrograda facta fuerunt. Deliria cum pleuritide complicata nullo medicamento citius tolluntur, quam vesicatoriis suris adpositis. Cel. Schulzius in dissertat. de dolore lateris p. 27. inquit: „*magnæ quoque efficaciæ judicantur* „*vesicantia tibiis, suadente Hippocrate adplicanda, post in-* „*stitutam venæsectionem, etiam ante illam spirandi scilicet* „*ac sputi exscreandi, difficultate superveniente, quo tempo-* „*re non leve auxilium tulisse & faciliori iterum reddita re-* „*spiratione expectorationem promovisse dicuntur.*„ Baglivius facilis est in eis huic morbo adhibendis.

§. LX.

Infimi ventris etiam *morbi* ex congeſtionibus ſanguinis originem ducentes revellentibus optime curantur. Quare pediluvia vel calor ſiccus pedibus admiſſus in cardialgia hyſterica præſentaneum ſæpe levamen ferunt; ubi pedes tactu frigidi apparent, certo certius indicant, congeſtiones verſus locum affectum fieri. *in infimi ventris morbis.*

§. LXI.

De *morbis retrogradis ſive repulſis* aliquid ſupereſt, quod commemorem. Rivinus quondam diſſertationem de morbis retrogradis ſcripſit, quam anno 1697. Lindeman ſub Præſidio Stahlii ventilavit, & p. 6. morbum retrogradum ſtricte loquendo definit, quod ſit *morbus, qui a corpore propulſus, ſtationem ſuam iterum relinquat, & ad interiora revertatur.* *in morbis retrogradis.*

§. LXII.

Ex morbis vero, qui facile retrogrediuntur, vel vel ex peripheria corporis ad viſcera repelli poſſunt, ſunt vitia cutanea ſuperficiaria, v. g. maculæ hepaticæ, puſtulæ, ſcabies, cruſta lactea, gutta roſacea &c. vel profundius cuti inhærentes & exulcerantes, eryſipelas, bubones, abſceſſus, tumores œdematoſi, podagrici, gallici, ulcera, catarrhi ſeroſi. Huc pertinent quoque morbi exanthematici, petechiæ, purpura, variolæ, morbilli, male quoque curati fluxus ſanguinis, lochiorum, menſium, hæmorrhoidum: item excretiones ſeri, ſalivæ, muci, urinæ & alvinæ. Omnia hæc vitia, excre- *ſpecialiter in vitiis cutaneis.*

F 2 tiones

tiones & morbi, quando præpoſtere tractantur & repelluntur, aut ſine medela adhibita retrograediuntur, variorum morborum auctores fieri poſſunt, & ad revocationem eorum media revellentia poſcunt. Quæ ſi ſcite & convenienter adhibeantur, multis aliis remediis palmam præripiunt, & effectum exoptatiſſimum edunt. Sola enim interna & expellentia raro ſufficiunt & ſcopum præfixum non ſemper attingunt: motum quidem concitant, & ſanguinem commovent, congeſtiones vero magis in partem affectam pellunt, quam ad externum corporis habitum, niſi externis adminiculis revellentibus iis ſuccurratur. Dantur & morbi intus aut in viſceribus latentes, aut in maſſa ſanguinea vel aliis humoribus hærentes, non retro pulſi, ſed intus orti & generati, quos ut natura expellat, opus eſt; & in his naturæ labor levatur, mediantibus revellentibus, attrahentibus & allicientibus: exempla propoſitionem declarare & intelligibilem reddere poſſunt.

§. LXIII.

inprimis eis quæ infantes recenter natos adfligunt.

In infantibus recenter natis familiare quid eſt, clamor, inquietudo, & vociferatio ex torminibus: multa ſæpe fruſtra adhibentur interna, donec tandem poſt aliquot menſes natura achores, aut in toto corpore, aut in partibus quibusdam ſingularibus expellat, quibus expulſis tormina ceſſunt. In hoc caſu optime ſe habent, balnea ab interiori corpore ad circumferentiam allicientia & tranſpirationem promoventia, ex ſpeciebus emollientibus parata, quæ quando

do in tempore & a nativitate adhibentur, & alternis diebus per aliquot menses continuantur nonsolum tormina mitigant, sed & achores aliaque exanthemata ulcerosa præservant. Negligentia hinc obstetricum nostri ævi in adhibendis balneis, laudari non potest.

§. LXIV.

In variolis.

Variolæ sunt ex anthemata cutanea, quæ per motum humorum expelluntur, & a massa sanguinea separantur. Natura sibi ipsi relicta, leviori modo erumpunt. Interim sæpe accidit, ut tarde in conspectum veniant, & retrocedere videantur. Quocirca plerique medici medicamentis internis earum expulsionem moliuntur: cum tamen, adhibito simul calore externo, potius repulsionem promoveant. Unicum vero vel duo ad extremas partes applicata vesicatoria, observato simul regimine temperato, plus præstant ad eas eliciendas, quam plurima molimina interna.

§. LXV.

In febribus petechialibus purpuraceis &c.

Laudabilis quoque revulsionis species est, si variolæ ab insultu ad eruptionem usque ad pedes per intervalla lacte calido foventur, ad faciem præcavendam, ne hæc copia variolarum obsideatur, nec formositas perdatur. Vesicatoria tempestive, aut ante morbi invasionem, aut in primo insultu applicata, præservant quoque viscera, ne variolis superfluis obducantur. Quæ vero revellentia in variolis prosunt, hæc & in febribus petechialibus, purpuraceis, & aliis exanthematicis opem præstant non contemnendam. Octa-

vianus Roboretus peculiarem edidit Tractatum de pediculari febre, anno 1592. Tridentini vagante, deque veſicatoriorum in ea potiſſimum uſu. Et certo pedibus & ſuris appoſita non modo congeſtiones a capite, deliriorum cauſam, revellunt, ſed & petechias a viſceribus ad circumferentiam alliciunt earumque retrogreſſum impediunt.

§. LXVI.

In morbis vere retrogreſſis.

Nunc ad morbos vere retrogreſſos vel repulſos revertor: de iis Moſes WOLFF Judæus anno 1737. diſputationem inauguralem ſcripſit. De morborum inconſulta ratione ſuppreſſorum revocatione, in qua præ aliis obſervari merentur, ſcabies repulſa, fonticuli præcluſi, ſudor pedum repreſſus, podagra retropulſa: in quibus affectibus hinc inde revellentia commendat.

§. LXVII.

In podagra ac ſcabie recedente itemque ſudore pedum repulſo.

De podagra retro cedente in corpus b. Hoffmannus 1700. Diſſertationem edidit in qua pag. ultima, legitur: *optimum conſilium eſſe, ſi ad pedes dolores revocari poſſint, quod frictionibus & pediluviis perficiendum.* De expulſione morborum retropulſorum, caput therapevticum legitur in ill. Alberti Therapia. Fickius, Prof. Jenenſ. Diſſertationem etiam ſcripſit de *ſcabie retropulſa.* Multa quidem exempla ſcabiei retropulſæ & morborum exinde ortorum refert, & retroceſſionis vias venas ſtatuit, de modo vero ſcabiem repulſam revocandi, revellendi ac in cutem alliciendi, plane ſilet. Cum

tamen

tamen maximum in eo positum sit momentum, ut materia ad viscera repressa & ulcerosa impuritate viscera lædens revocetur in cribrum periphericum, & in locum pro excretione tutiorem. Hoc autem solis medicamentis internis non semper obtinetur. Quid? quod, si externis adminiculis non succurratur, internorum medicamentorum operationi, ut plurimum contrarium edunt effectum, & magis introrsum in locum affectum materiam ulcerosam congerunt, quam expellere debuerint. Ill. Alberti quidem l. c. §. 18. internis adjungit externa, dicens *ab extra denique modestæ frictiones, superficiei corporis cum linteis calidis inquinamenta hæc ulcerosa in peripheriam revocant.* At quia l. c. §. 13. magis allicientia, vesicatoria, rubefacientia, ut a vulgo commendata, immoderata & impetuosa rejicit, medicum, hinc dubium & nimis timidum reddere videtur, cum tamen potentiora revellentia hic optima, & sæpe præsentanei sint effectus. Sic memini ex patris mei praxi virginis tenerioris constitutionis, ex pleuritide, hebdomade tertia adhuc non sine periculo laborantis, quæ cum manus ad pulsum explorandum præbebat, vestigia simul scabiei retropulsæ in conspectum dabat. Quamobrem materiam scabiosam, si non pro causa pleuritidis, cum ea tamen complicatam esse, optime judicabat pater: vesicatoria pro revellendi scopo ad suras commendabat, & brevi recursum & efflorescentiam pustularum scabiosarum, & cum hac restitutionem in integrum promovebat. Sudores pedum levioris momenti esse videntur. Repressi vel retropulsi tamen graviora mala inducere possunt. Media, qui-

bus

bus sudores pedum restitui possunt, sunt revellentia, præcipue pediluvia, fotus & vapores calidi ex lacte vel decocto emolliente, pedibus admissi. Quibus multi hydrope, ictero, cardialgia, asthmate, colica laborantes restituti sunt. Natura enim semel, ad sudoris hujus alias consuetam excretionem allecta, non solum corpus ab humoribus in eo collectis per pedes & crura liberum reddit, sed & quantitatem materiarum excrementitiarum per hoc cribrum evacuat, id quod ex odore sæpius nauseoso arguere possumus.

S. D. G.

